



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Visa nonnulla illustria. Cap. VII.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

nicum metum debellauit, sublimium deinde voluptatum communicatione frui perrexit.

*IGNATII visa quadam insignia.*

C A P. V I I.

32. **E**T stabat fortè in gradibus  
 Lædis S. Dominici, pieque  
 diurnas preces magnæ Virgini ad-  
 numerabat; cum repentè animus  
 diuinâ luce collustratus, mirabili  
 cum gaudio SS. Triadem cœpit  
 intueri, & quamdam tantæ rei ima-  
 ginem, quoad licuit, felicibus ocu-  
 lis impertire. Quare immodicis so-  
 latijs initiatus, non singultus tem-  
 perare, non lacrymas potuit erum-  
 pentes continere: & lingua diu  
 aliud loqui, & aliud cogitare mens  
 nequijt, quàm quod insperato mi-  
 raculo semel vidisset: conatusque  
 alijs interim alijsque similitudinum  
 vmbrijs, rei prodigium explicare,  
 audientes in stuporem rapiebat.  
 Certè confestim super illo argu-  
 mento vberem lucubrare com-  
 men-

mentarium incepit; scriptumque in tabulis diurnis reliquit, plurium annorum studio se ad luculentiorē scientiam non fuisse euasurum, neque maioris lucis in hac mortalitate capacem se credere, quā quantam ab eo viso hausisset. Alio quoque tempore repræsentatus illi est admirabilis modus, quo DEVS omnia quondam ex nihilo procrearat.

33. Tum in eodem S. Domini-  
ci cœnobio, cū Sacris litaretur,  
ipsaque demum Hostia manibus,  
vt solet, in sublime sustolleretur,  
claro mentis obtutu CHRISTVM  
vidit, sub illo panis velo latitan-  
tem. Quem eundem & alibi, sæpè  
ac diu, exterioribus oculis, vti &  
beatissimam eius Matrem Virgi-  
nem, habuit contemplari. Neque  
Manresæ hæc solū, sed in subur-  
bano etiam Patauij ac Ierosoly-  
mæ locisque compluribus eadem  
contigere. Olim Manresâ egressus,  
templum petierat, quarto inde la-  
pide dissitum. Ibi interiuncto iti-

nere, propter annis crepidinem confedit: ac, defixis in vndas oculis, cœpit insolenti luce irradiari; neque vllâ tamen imagine occupatus, fidei quædam arcana, disciplinarumque scita penitissimè cognoscere: vt proinde quæ antea scierat, tunc ei longè diuersissima viderentur.

34. Sed illud fuit haud paullò memorabilius, quod itidem Manresæ contigit. Die quodam Sabbati, sub horam vltimarum precum, sensibus repentè destitutus, exanimis per dies octo continuos iacuit; nihilo ab sepulto diuersus, quàm quòd cordis leuiuscula quædam palpitatio deprehendebatur. Ceterùm omnibus in rei euentum erectis, altero deinde Sabbato, circiter eandem diei horam, recludit oculos, vt si placidissimo somno solueretur; & inter suauissimos affectus, IESVM leniter appellat. Quod compertum nos ex ijs habemus, (inquit Ribadeneira) qui testimonium in eam rem dixerunt; quive

quive de præsentibus videntibus-  
que liquidò acceperè.

35. Non fuit infra hanc nobi-  
lis illa ostensio, de qua supra me-  
morauimus: cum sacram ædiculam  
ingresso, DEVS se Pater obiecit,  
Christusque in humeris crucem  
gestans, blandissimè, *Socijs Romæ*  
*se propitium fore*, promisit.

36. In Casinati monte, vbi  
S. olim Benedictus proditur ani-  
mam S. Germani, Capuani Anti-  
stites, vidisse sublimem inter Cæli-  
tes euehi, vidit & IGNATIVS Bac-  
calaureum Hozium cælum petere,  
qui nuper ei se Socium Venetijs  
adiunxerat, ac tunc fortè Patavij,  
cum P. Ioanne Codurio curabat.  
Pro quo ipso item Codurio ope-  
raturus, ibat aliàs IGNATIVS ad  
S. Petri, quod cœnobium super  
Ianiculi collem (hodie Montem  
aureum) in Transtiberinâ regione  
situm, visitur. Iam Sixti pontem  
institerat, cum hunc vidit, quem  
dixi, Codurium refulgentem in  
cælum abire: & conuersus ad Ba-

ptistam Violam, suum tunc comitem, iam excessisse Codurium asseueravit. Rem alijs post ipse Baptista retulit.

37. Pater fuit quidam Leonardus Kesselius, gente Belga, vir in Societate veteranus, ac diuinis impensè deditus: isque Coloniae in Vbijs prima posuerat Collegij fundamenta; & Socijs ibi diu praefectus, magnæ sanctitatis famâ clarebat. Hunc talem virum vetus urgebat cupido IGNATII videnti. Eam in rem litteras ad Patrem exarat, copiamque sibi ab eo fieri flagitat, Romam proficiscendi, eiusque videnti ac colloquendi. Abest Vbiorum Colonia passuum plus millia nongenta. Ad quæ postulata IGNATIVS sic rescripsit, vt expedire rationibus Collegij per id tempus non putaret, si quâ Rector inde longius abesset. Ceterum hanc esse DEI siue providentiam, siue potentiam, vt, absque longinqui itineris molestiâ, videre inter se possent. Quiuit Leonardus;

dus; & non multò post vigilantibus  
 sentienti que B. se illi IGNATIVS  
 Coloniae improvisò stitit, atque  
 aliquamdiu commoratus, ex oculis  
 rursus discessit, eo adhuc tempore  
 quo Romæ vitam ipse mortalem  
 degebat. Affecit hoc tale spectacu-  
 lum haud leuibus gaudijs virum;  
 vt cuius desiderijs modo tam ad-  
 mirabili iam satis esset factum.

38. Adhæc, Barcinone quondam  
 Ioannes Pasqualis, Agnæ filius  
 ibat ex more, vt Sacerdoti Sacris  
 operaturo ad S. Eulaliæ adesset. Ei  
 tunc idem IGNATIVS, sed ante  
 annos iam aliquot functus, pro  
 summo altari se clarè ostendit,  
 Ioannes repenti, vt ad familia-  
 rem, *Ab Pater mi*, exclamare:  
 iamque adeò, ceu complexurus,  
 accurrere. Verùm ei IGNATIVS  
 manu abnuere, néve cominus ac-  
 cederet, prohibere. Simul ab eo vi-  
 deri desijt. Alia & horum haud  
 absimilia, possent commemorari  
 multa; sed nos prolixiora exosi,  
 ne Lectoris otio abutamur, ple-  
 risque

risque decreuimus supersedere.

39. Nam ijs etiam ipse adeò nihil tribuebat, vt quamuis circumflueret his cœlitum delicijs, inter sanctitatis tamen probatæ testimonia, eas numquam numeraret. Magis animi modestiam mirari: & patientiam sui que despectionem laudare: tum precandi studium, & sui domandi sollertiam, talia que inter veras virtutes ducere solebat. Alia in hominum ore illustria esse, sed Deo tamén cælo que haud perinde æstimari.

40. Ab hac animi luce, nonnulli etiam radij in partem corporis exundarunt, quos arbitri sæpe numero conspexere. Id quod de Iabellâ suprâ narratum voluimus: quæ cum inter puerulos pro arâ summâ confidentē, insolito splendore radiare viderat. Idem alio tempore Ioanni Pasquali visum, cuius mater domicilium IGNA-  
TIO præbuerat. Et Loiolæ (oppidi hîc nomen) istud ipsum & alij viderant, cum illuc ex Galliâ  
regres-



regressus, ad hospitem domum  
 diuertisset. Romæ deinde Philip-  
 pus Nerijs, auctor Oratorij, ma-  
 gnâ & notâ sanctitate vir, IGNA-  
 TII æqualis, sæpius spectasse eum  
 se aiebat, fulgentibus radijs multo-  
 que capitis nitore coruscantem.  
 Quo teste tantò libentiùs hîc uti-  
 mur, quantò maiorem illum &  
 sanctiorem fuisse, haud dubiè sci-  
 mus: & à quo denique tantos ho-  
 die fructus existere Roma mira-  
 tur. Is verò addictissimum se  
 S. IGNATIO, ac velut filium ge-  
 rebat: solitus ad ipsum, consilij pe-  
 tendi, recurrere, & in aduersis in-  
 didem sibi solatia quærere. Quæ  
 quidem ipsa abundè, simul IGNA-  
 TIVM intuebatur, suppetebât. De-  
 cessit hic DEI seruus M. D. XCV.  
 ad VII. Kal. Iun. coluntque nunc  
 eius memoriam festis gaudijs po-  
 steri, nequaquam ingrati.

41. At multò illud est memora-  
 bilius, quod Alexandro Petronio  
 contigit, Medico Romæ celebri,  
 & inter IGNATII amicos singu-  
 lari.

lari. Decumbebat is graui valetudine impeditus, inque cubili, ob valuas obferatas, perobsuro. Hunc postquam inuisit IGNATIUS, relucere locus nouis splendoribus visus, obstupescit ægrum, vt scitari subigeretur, equanam, & vnde illiusmodi lux existeret, quam insperato conspicaretur. Inter quæ confestim è morbo conualuit: eamque salutem IGNATIO præsentì acceptam retulit; etsi factum apud alios clam tantisper haberi voluit, donec IGNATIUS viueret. Post denique rem vniuersam detexit, magnâ cum defuncti existimatione.

42. Eundem Ioannes Pasqualis Barcinone inter preces sæpè sublimem vidit, atque ad tres amplius aut quattuor dodrantes (siue, quod Acta referunt, ad quinque etiam cubitos) ab humo elatum, in aëre ferri; idemtidem hæc secum quiritantem, *O Deus, ô mi Domine, si homines te agnoscerent!*  
Idque

Idque ab ipso Ioanne persæpè  
audisse se, filius eiusque nurus iu-  
reiurando firmarunt.

IGNATII *vaticinationes.*

## CAP. VIII,

43. **I**NSUPER vaticinatione cla-  
rus, præsensit prædixitque  
multis res multas lōgè antè quàm  
fierent. Iturum fortè Ierosoly-  
mam, adolescēs annos natus octo-  
decim Ioannes hic Pasqualis co-  
mitabatur. Quem ille reuerti ius-  
sum, admonuit, matri potiùs vt in-  
seruiret; tum fore, vt vxore ductâ,  
liberos procrearet, multisque ea-  
propter laboribus exerceretur. Me-  
minisset solùm, forti animo con-  
stantique omnia perferret. Addi-  
dit deinde alia, quæ omnia haud  
aliter quàm ostenderat, euenere.

44. In Belgas aliquando è Gal-  
lijs transierat, stipem ibi ab Hispa-  
nis gentilibus coactum, quâ cœpta  
litterarum studia persequeretur.  
Accidit, vt Antuerpiæ tunc inuita-  
tus,